

consensu monialium per suffragia secreta; hæc etiam conditio non ita apud nos admittitur; 5° ut quælibet puella suum habeat lectum separatum; 6° ut sit sola et non habeat ancillam; 7° ut puellæ educandæ induantur vestitu virginali, modestiæ et pudicitæ convenienti; 8° ut septimum annum expleverint et majores viginti quinque annis non sint, quod apud nos non servatur; 9° ut ad clausuram, sicut moniales, teneantur, et egressæ ad monasterium redire nequeant, nisi religiosam vitam amplecti velint. Hæc omnia iudicio episcopi vel superioris ab episcopo deputati in Gallia submittuntur.

2° Puellæ intra monasterium degentes, si matrimonium contrahere velint, non prohibeantur; sed extra clausuram sponsalia ineant, in eam amplius non redituræ sine licentia speciali. Cong. episc. et reg., die 15 feb. 1585.

3° Mulieres nuptæ in monasterium recipi non debent, etiam cum licentia episcopi, juxta multos doctores, sed requiritur S. Cong. dispensatio. Hæc pariter dispositio non recipitur in Gallia.

4° Ancillæ sæculares de licentia superiorum introduci possunt in monasteria, causa inserviendi monialibus, si desint conversæ aut sint infirmæ, modo sint honestæ vitæ, in servitium omnium monialium, et pro libitu suo non egrediantur e monasterio, ut communiter docetur.

CAPUT TERTIUM.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

Hoc præceptum in Exod. xx, 8 et seq. exprimitur his verbis: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini est, etc.*

Dicemus 1° de natura et obligatione hujus præcepti; 2° de iis quæ prohibentur; 3° de iis quæ præcipiuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA ET OBLIGATIONE TERTII PRÆCEPTI.

1° Sabbatum, juxta vim nominis, significat requiem vel cessationem, et sic ultima dies hebdomadæ vocata est, quia Deus compleverat die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod pararat, Gen. ii, 2. Sumitur etiam, in stylo hebræo, pro ipsa hebdomada, et eo sensu dicitur prima sabbati, una sabbati, pro prima die hebdomadis, seu post sabbatum.

2° Hoc præceptum est simul naturale et positivum: est naturale, quatenus natura præcipit ut aliquod tempus cultui divino impendatur, et sub hoc respectu inter præcepta Decalogi ponitur: quatenus vero aliquod tempus speciale ad vacandum divinis, et in honorem requiei Dei ab opere creationis determinat, est cæremoniale, et hæc circumstantia, accedente lege Evangelica, fuit abrogata. *Ita communissime theologi.*

3° Observatio igitur diei dominicæ, quæ nova Lege sabbato fuit substituta, quoad determinationem temporis et operum, sive prohibitorum, sive præceptorum, est tantum de jure ecclesiastico. Nam, vel est de jure ecclesiastico tantum, vel de jure naturali, vel de jure divino positivo: atqui duo posteriora dici nequeunt. 1° *Non est de jure naturali*; quamvis enim ratio dictet Deum esse adorandum et aliquod tempus cultui ejus esse devovendum, non præcipit tanquam essenziale quod sit integra dies, hæc potius quam illa, una e septem potius quam e decem, etc. 2° *Non de jure divino positivo*. Videmus quidem dominicam tempore Apostolorum jam loco sabbati existisse, Apoc. i, 10: *Fui in spiritu in die dominica*; Act. Apoc. xx, 7: *Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem*. Una sabbati est prima dies post sabbatum, seu dies dominica ut expresse tradit S. Aug., Epist. 37, n. 28: « Una » enim sabbati tunc appellabatur, qui nunc dominicus » appellatur. » At nullibi dicitur nec indicatur hanc substitutionem factam fuisse a Christo seu jure divino posi-

tivo; imo *S. Th.*, 2 2, q. 122, art. 4, ad 4, ait: « Obser-
» vantia diei dominicæ succedit observantiæ sabbati, non
» ex vi legis, sed ex institutione Ecclesiæ; » Catechismus
concil. Trid., 3^a parte, cap. 4, § 4, dicit: « Placuit autem
» Ecclesiæ Dei, ut diei sabbati cultus et celebritas in do-
» minicam transferretur diem. » Insuper Ecclesia ab ob-
servatione diei dominicæ sæpe dispensat, tum ex parte,
tum ex toto: ergo persuasum habet illius observationem,
quoad circumstantias temporis et operum, esse tantum
juris ecclesiastici. Ita longe communius et probabilius
theologi contra plures, inter quos *Coll. Andeg.*, qui in
hoc, sicut in aliis punctis, non satis est præcisus et accu-
ratus.

4^o Illud præceptum obligat per se sub peccato mortali,
ut constat ex communi sensu doctorum et fidelium, et ex
condemnatione sequentis propositionis ab Innocentio XI,
n. 51, anno 1679: « Præceptum servandi festa non obli-
» gat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. »

5^o Obligat omnes et solos fideles rationis compotes:
obligare quippe non potest infideles, cum non sint de Ec-
clesia, nec ratione carentes, etsi ætate jam essent provec-
ti, quia obedientiæ sunt incapaces; sed cunctos fideles rationis
compotes per se obligat, quia est universalis et ad omnes
extenditur. Ad illam igitur tenentur pueri etiam septennio
minores, si usum rationis habeant, dum non tenentur ma-
jores, sed idiotæ.

6^o Sedulo advertendum est præceptum a fine præcepti
distinguendum esse; solum præceptum imponit obligatio-
nem, et finis extrinsecus præcepti non cadit sub præcepto,
v. g., finis abstinentiæ et jejunii est maceratio carnis: at-
tamen qui, ex sua constitutione physica, magis delectatur
alimentis jejunii quam carnibus, nihilominus præcepto
satisfacit. Item finis cessationis ab operibus servilibus est
ut, rebus divinis vacantes, diem dominicum sanctificem-
us: verum hic finis non cadit sub præcepto, quod plures
non considerantes, in sententias nimis rigidas abierunt,
ut ex infra dicendis patebit.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IIS QUÆ DIEBUS DOMINICIS PROHIBENTUR CHRISTIANIS.

Deus omne prohibuerat opus Judæis die sabbati, ut
videre est in *Exod.* xx, 10, et adeo rigorosum erat hujus-
modi præceptum, ut ipse jusserit hominem qui inventus
fuerat in solitudine ligna colligens die sabbati, obrui lapi-
dibus ab omni populo extra castra, *Num.* xv, 32 et seq.
In eo die cibum parare non licebat, *Exod.* xvi, 23; nec
ignem accendere, *ibid.* xxxv, 3. Talis rigor apud Christia-
nos sub lege gratiæ non existit, et tamen quædam stricte
prohibentur. Dicemus 1^o de operibus servilibus prohibi-
tis; 2^o de aliis operibus, præter servilia, prohibitis; 3^o de
causis ob quas opera servilia facere liceat.

§ I. — De operibus servilibus diebus dominicis prohibitis.

1^o *Notandum* triplex genus operum distingui ab aucto-
ribus, scilicet servilia, liberalia et communia: servilia sic
dicuntur, quia a servis fieri solent, et ea sunt quæ per cor-
pus exercentur et ad utilitatem corporis immediate ordi-
nantur, ut fodere, suere, artes cæmentarias, lignarias, sar-
torias, pistorias, etc., exercere. Opera liberalia, sic dicta
quia a personis liberis exerceri solent, ea sunt quæ ab
anima præcipue procedunt et ad animam excolendam spec-
tant, ut legere, studere, docere. Opera communia ea sunt
quæ a servis et liberis promiscue fiunt, ut iter facere, ve-
nari: si a corpore et in utilitatem corporis præcipue exer-
ceantur, ut piscatio cum magno apparatu, reputantur
servilia; secus, sunt liberalia.

2^o Opera liberalia, prout ea definivimus, nulla lege pro-
hibentur diebus dominicis, et ubique etiam a timoratis
exercentur. Unde 1^o licet loqui, disputare, docere, cuius
scientiæ studere, erudire, concionari, advocatos aut me-
dicos consulere, cantare, organa aliave instrumenta musi-
calia pulsare, quia hæc sunt liberalia et non servilia, etiam-
si fiant ob lucrum inde percipiendum, ut *S. Th.*, 2 2,

q. 122, art. 4, ad 3, et communiter tenent auctores contra paucos; ratio est, quia inteptio operantis non mutat naturam operis. 2^o Licet scribere, quia in ea actione præcipue agit animus: major est difficultas pro transcriptione; Sanchez, Sylvius, Billuart et alii plures volunt illam esse opus servile, nisi fiat memoriæ adjuvandæ causa, ad discendum, retinendum, docendum, etc., quia in illa facienda corpus magis quam animus exercetur, cum multi ea etiam transcribant quæ non intelligunt. Alii tamen communissime negant, quia transcriptio, sicut scriptio, ad instruendam mentem ordinatur. 3^o Licet delineationes artificum, v. g., architectorum, pictorum, sculptorum, acupictorum, fabrorum, lignariorum, etc., in charta exarare, quia in hoc agendo plus mens quam corpus exercetur. Valde autem scinduntur theologi circa picturam: plures, ut Sylvius, Layman, Busenbaum, fatentur terere colores et tingere potius quam pingere, v. g., colorare asseres, dealbare parietes, esse opus servile; sed volunt picturam proprie dictam esse artem liberalem, ac proinde diebus dominicis non prohibitam. Hæc opinio nobis videtur probabilior, quamvis opposita sit communior; saltem libenter concludimus cum S. Ligorio, l. 3, n. 281, non esse dimittendos sine absoluteione qui illam sequuntur ut probabilem. Sculptura vero communiter inter artes mechanicas numeratur, et ut opus servile habetur. 4^o Quidam, ut Layman, et Busenbaum, putant collocare characteres in typographiis, non esse opus servile: hoc videtur saltem dubium; sed imprimere est, juxta omnes, opus servile. 5^o Facere distillationem ad experientiam et peritiam, et non ex officio, ut pharmacopola, non est opus servile. 6^o Venari, aucupari, militare, gladiari, piscari recreationis causa, non reputantur opera servilia, quia non tantum a servis, sed potius a dominis fieri solent: alii tamen ea servilia esse judicant, et nihilominus diebus dominicis fieri permittunt, propter consuetudinem, ad otium aliaque pejora vitanda: quidam excusant etiam puellas acupingentes ad vitandum otium. Non vero excusarentur venatio et piscatio cum magno apparatu et labore; tunc enim sunt potius opera servorum

quam dominorum. Unde Alexander III, in Decretal., lib. 2, tit. 9, cap. 3, relatus, permisit ut « diebus dominicis et aliis festis, præter quam in majoribus anni » solemnitatibus, si halecia terræ se inclinaverint, eorum » captioni, ingruente necessitate, intendere liceret. »

3^o Opera servilia proprie dicta prohibentur diebus dominicis sub peccato ex genere suo mortali, ut constat 1^o ex consuetudine in omnibus ecclesiis recepta et antiquissima; 2^o ex testimoniis sanctorum Patrum: S. Aug., Epist. 55 ad Januarium, cap. 9 et seq., de sabbato Judæorum æternæ requiei figura longe disserens, dicit, cap. 13, diem dominicum non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratum esse, et ex illo habere cœpisse festivitatem suam; evidenter supponit præceptum ab operibus servilibus abstinendi apud Christianos sicut apud Judæos extitisse, sed die dominica loco sabbati. S. Leo, l. 11, Epist. 3: « Dominico enim die a labore terreno cessandum est, atque » que omnino orationibus insistendum; » 3^o ex conciliis: concil. Matisconensi II, anno 585 celebrato, can. 1; concil. Parisiensi VI, anno 829 habito, cap. 50, etc.

Hinc 1^o opera ruralia, ut arare, serere, metere, vineas colere, fodere, putare, arbores cædere, etc., diebus dominicis prohibentur; 2^o item opera artium mechanicarum, v. g., cæmentariæ, ferrariæ, lignariæ, sartoriæ, sutoriæ, textoriæ, etc. 3^o Similiter opera minutiora quæ facere solent moniales, ut scapularia, rosaria, chordulas, flores, imagines cereas vel sericas aut chartaceas, etc., quia hæc non reputantur, in usu communi, ad artes liberales pertinere. Nec refert quod gratis exercentur; sicut enim artes liberales non prohibentur quia fiunt lucratoriæ, nec opera servilia fiunt licita quia gratis exercentur aut ex motivo pietatis aguntur; alioquin ecclesias ædificare, calices, altaria, ornamenta sacerdotalia diebus dominicis conficere liceret, quod tamen ab omnibus rejicitur.

§ II. — De aliis operibus præter servilia prohibitis.

Præter opera servilia prohibentur diebus dominicis, ex Decretal., l. 2, tit. 9, cap. 1 et 5, mercatus, placitum, ju-

dicium ad mortem vel ad aliam pœnam, et juramentum judiciale.

1^o *Mercatus*; quo nomine intelliguntur nundinæ, gallice *foires*, et mercatus, *marchés*. Nundinæ sunt de majoribus rebus, raro fiunt in eodem loco, et homines de loginquo huc convenire solent; mercatus vero fiunt de rebus minoribus ad quotidianos usus destinatis, singulis hebdomadis aut circiter, diebus determinatis, in eodem loco fiunt, et homines de vicino ibi conveniunt.

Non est dubium quin nundinæ et mercatus omnesque negotiationes ex professo per se prohibeantur diebus dominicis et festivis: patet ex capitibus juris supra citatis, ex auctoritatibus a Bened. XIV, const. *Ab eo tempore*, diei 5 nov. 1745, § 18, citatis, et ex consensu omnium doctorum. At, ex consuetudine vel ex necessitate excusantur. Sic 1^o nundinæ ob consuetudinem generaliter receptam tolerantur, nec inquietari debent in eis vendentes aut ementes. Ita Bened. XIV, loco citato, *Ferraris*, *S. Liguorius*, etc. Sic 2^o tolerantur pariter mercatus singulis diebus dominicis in quibusdam locis usitati, v. g., *les marchés de fruits, de légumes, de beurre, de lait et autres denrées*. Sic 3^o licite, ex usu recepto, venduntur et emuntur, in publicis officinis, esculenta, poculenta, calceamenta, candelæ, panna ad vestes conficiendas, et alia hujusmodi: rustici enim non tenentur in civitatem vel in vicum aliis diebus ex consulto ad hæc emendâ venire: ergo mercatores ea vendere possunt, nec tenentur interrogare emptores an sufficientes habeant rationes talia diebus dominicis emendi, quia hujusmodi interrogatio esset nimis gravis, odiosa et multos emere volentes repelleret. Suas tamen officinas tenere debent oclusas, saltem ex magna parte, ut ostendant se diem dominicam vel festivam ab aliis diebus distinguere. Sic 4^o toleratur ut parvi mercatores, vulgo *petits merciers*, ex uno loco in alium merces suas deferant, publice ostendant (*étalent*) et vendant, tum ob propriam utilitatem, tum ob populi convenientiam, modo missæ assistant et tempore divinorum officiorum non vendant. Sic 5^o licite venduntur et emuntur domus, equi,

boves aliæque merces, sive absentes, sive præsentis, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc multum impendatur tempus, dummodo hæc fiant inter privatos; quia talis est usus etiam timoratorum, et quia Ecclesia solam prohibere voluit venditionem in publicis officinis vel in nundinis, ratione scandali. Ita *S. Ligor.*, l. 3, n. 286, et plures apud ipsum. Sic 6^o etiam nunc tolerantur publicæ venditiones sub hasta diebus dominicis inter divina officia, v. g., *un lot de bois, une maison, une entreprise de bâtimens*, etc. Sæpe aliis diebus pauciores essent concurrentes, et tunc adest ratio sufficiens diem dominicam eligendi, aut saltem qui ad hujusmodi venditiones ex officio concurrere debent, ut notarii, caupones et qui graves habent rationes emendi, ab iis cum notabili suo detrimento abstinere non tenentur. Parochi ergo et confessarii hujusmodi actus nondum usitatos impediunt si possint, sed usitatos prudenter tolerant. Idem dicendum est de nundinis et mercatibus.

2^o *Placitum*; quo nomine intelliguntur judiciales processus, ut partes interrogare, testes et advocatos audire et sententiam ferre. Olim hujusmodi actus die dominica vel festiva exercitati declarabantur nulli jure civili sicut jure canonico. Lex diei 18 *germinal an x* (8 avril 1802) statuit, art. 57: *Le repos des fonctionnaires publics sera fixé au dimanche*. Unde tribunalia vacant diebus dominicis et festivis de præcepto, et actus in his diebus facti rescindibiles essent. Verum judex pacis omnibus diebus judicare potest, etiam diebus dominicis et festivis, mane vel post meridiem, *Code de procédure civile*, art. 8; item et Curia dicta *d'assises*, quando causæ examen et contentiones ad dominicam vel ad festum conducunt, quia hæc semel incepta interrumpi non possunt. *Code d'instruction criminelle*, art. 353.

Sub his quæ in præsentis numero diximus sufficienter intelligitur quidquid dici potest de aliis sententiis judicialibus et de juramento judiciali.

3^o In lege diei 18 nov. 1814 sic statutum erat, art. 3: « Dans les villes dont la population est au-dessous de cinq

» mille âmes, ainsi que dans les bourgs et les villages, il
 » est défendu aux cabaretiens, marchands de vin, débitants
 » des boissons, traiteurs, limonadiers, maîtres de paume et
 » de billard, de tenir leurs maisons ouvertes et d'y donner
 » à boire et à jouer lesdits jours pendant les offices. » Hæc
 legis dispositio fere nullibi fuit stricte observata, brevi
 contrario usu fuit abrogata, et nunc penitus est abolita.
 Prudens confessarius satagere debet ut hujusmodi abusus
 tollat, aut quantum poterit minuat; sed absolutionem de-
 negare non potest ob prædictæ legis violationem, neque ob
 prohibitionem Ecclesiæ, quia nulla citatur lex ecclesiastica
 universalis hæc prohibens. Si specialia hac de re existant
 statuta in diœcesibus, et nondum abrogata, servanda sunt.
 Secus ex variis circumstantiis agendum est, habita ratione
 scandali, damni incurrendi, difficultatis a tali venditione
 abstinendi, etc. Sæpe uxores, filii aut filiæ-familias admitti
 possunt, non vero dominus domus.

Idem, proportionem servata, dicendum est de spectaculis,
 saltationibus, choreis diebus dominicis habitis, quæ nulla
 lege generali prohibentur, et tamen sanctificationi dierum
 sanctorum multum adversantur: tempore divinorum offi-
 ciorum tolerari non possunt, maxime in locis publicis ob
 scandalum inde proveniens.

De itinere.

Itinerari pedibus, equo, curru aut navi diebus dominicis
 et festivis illicitum esse quidam docuerunt, ut *Cajetanus*,
Sylvius et alii; sed communiter nunc tenetur hoc esse lici-
 tum, tum quia non est opus servile, tum quia sic præva-
 luit usus etiam apud timoratos. Unde licet currum et
 equos parare, quamvis in eo aliquid sit opus servile.

Item servile non est opus ducere jumenta, quia est iter
 agere: ea vero ducere onusta, aut currus vel navigium
 cum mercibus, opus est servile et prohibitum, juxta *Sua-
 rez*, *Busenbaum* et alios plures. Excipitur tamen si ante
 dominicam vel festum itinera sint incepta et absque nota-
 bili detrimento interrumpi non possint. In eo casu æstimat

S. Ligorius, l. 3, n. 276, saltem hodie probabilius videri
 non solum iter inceptum continuare, sed et inchoare li-
 citum esse, ob grave evitandum damnum, vel ob publi-
 cam utilitatem, vel ob generalem consuetudinem, quæ
 consulenda est.

Eadem ratione, quamvis iter ex officio agere, ut faciunt
 cursores, opus servile videatur, ex consuetudine tamen et
 ob publicam utilitatem excusatur. Sic *Billuart*.

De peccato die dominica commisso.

Non pauci volunt peccatum die dominica vel festiva ad-
 missum specialem induere malitiam, quia divino cultui in
 hac die præcepto opponitur; alii vero communius negant,
 quia peccatum opponitur quidem fini præcepti, non autem
 ipsi præcepto: at cum finis non cadit sub præcepto, sequi-
 tur peccatum specialem non contrahere malitiam ex cir-
 cumstantia hujus diei. Unde si *S. Th.* dicat, 2 2, q. 122,
 art. 4, ad 3: « Magis contra hoc præceptum agit qui peccat
 » in die festivo quam qui aliud corporale opus facit, » id
 intelligendum est de fine præcepti opus servile prohibentis.

§ III. — De causis ob quas opera servilia facere liceat.

Causæ de operibus servilibus communiter excusantes
 sunt dispensatio, consuetudo, pietas, charitas, necessitas,
 utilitas, et rei parvitas.

1^o *Dispensatio*; cessatio enim a servilibus operibus ex
 jure positivo humano tantum in nova Lege præcipitur, ut
 supra diximus: porro de essentia est Legis positivæ hu-
 manæ ut per legitimam dispensationem vinculum ejus solvi
 possit.

Ab illo autem præcepto dispensare possunt: 1^o summus
 Pontifex in omnibus festivitibus et diebus dominicis pro
 tota Ecclesia, ut supremus legislator et pastor; 2^o episco-
 pus et vicarii capitulares, sede vacante, pro diœcesi, et ob
 rationes sufficientes; secus, graviter peccarent, et nulla
 esset dispensatio, si de festis communibus ageretur: valida

vero esset dispensatio sine causa, licet illicita, in festis particularibus loci, si quæ adhuc existerent; 3^o prælati regulares, respectu subditorum et suorum domesticorum; 4^o parochus, respectu parochianorum, sed ad tempus pro aliquo casu particulari et ob graves rationes. Si diuturna obtinenda sit dispensatio, recurrendum est ad episcopum. Sanchez et alii plures apud *S. Ligorium*, l. 3, n. 288, dicunt vicarium generalem in eo præcepto dispensare non posse, nisi ex speciali mandato: verum in Gallia dispensare solent, ex generali sua commissione, eodem modo ac episcopi, nomine ejus et sub illius dependentia; 5^o si casus urgeat et superior ecclesiasticus adiri non possit, dispensatio præsumi potest. Ita *Suarez*, *S. Ligorius* et alii plures.

2^o *Consuetudo*; consuetudo enim habet vim leges positivas introducendi, interpretandi, mutandi et abolendi, ut constat ex dictis in Tractatu *de Legibus*. Unde celebris *Gerson*, a *P. Alexandro* relatus, ait: « De operibus servilibus non exercendis diebus dominicis et festivis plus et frequenter determinat consuetudo loci et personarum a prælatis tolerata, quam alia lex scripta. » Hinc ex consuetudine excusantur 1^o quædam nundinæ in diebus dominicis et festivis haberi solitæ, et mercaturæ, ut supra diximus; 2^o præparationes deliciarum etiam non necessariorum, ut cupediarum, placentarum, et similium ciborum artificiosorum; 3^o minorum animalium, ut pullorum, columbarum occisiones, non vero majorum, v. g., boum, ovium, vitulorum, nisi aliqua urgeat necessitas; 4^o quæ ad nitorem domus pertinent, ut cameras verrere, cubilia sternere, utensilia lavare, etc.; 5^o quæ ad decentem personæ compositionem spectant, ut barbam sibi tondere, vestes purgare, aliquid leve suere, eas corpori aptare, etc.; 6^o quæ ad iter faciendum necessaria sunt, ut currum et equos præparare, etc.

3^o *Pietas*. Hic agitur de pietate erga Deum, cujus ratione excusantur opera ad servitium Dei proxime pertinentia, ut cruces, imagines, reliquias in supplicationibus publicis gestare, campanas pulsare, organis insufflare, thuri-

bulum agitare, altaria sertis, candelabris, vestimentis et similibus ornare, etc.; hæc enim ad finem præcepti de sanctificatione diei dominicæ pertinent: ergo prohiberi non possunt, etiamsi aliquod inde percipiatur lucrum, ob molestiam sustinendam, sicut in veteri Lege sacerdotes arcam circumferentes aut victimas die sabbati immolantes non peccabant. Ea vero quæ ad servitium Dei remote tantum pertinent et servilia sunt, ut lapides ad construendam ecclesiam cædere aut vehere, ornamenta facere aut reficere, linteamina lavare, sarta pro altaribus componere, ecclesiam lavare, etc., prohibentur et peccata mortalia esse possunt.

Quidam apud *S. Ligorium*, l. 3, n. 293, docent quod ob solam pietatem liceat diebus dominicis et festivis, saltem non solemnioribus, laborare, v. g., vestes pro pauperibus facere, agros ecclesiæ colere, lapides et ligna ad ejus constructionem vehere, etc., et nituntur cap. 5, tit. 9, l. 2 Decretal., in quo dicitur judicialia prohiberi feriis solemnibus nisi necessitas urgeat, *vel pietas suadeat*; verum alii communius et probabilius hanc opinionem rejiciunt, quia præceptum colendi Deum et a servilibus abstinendi altioris est ordinis quam opera pietatis.

4^o *Charitas*, scilicet erga proximum, si nempe pauperibus et infirmis pro tunc egentibus subveniendum sit etiam per quædam opera servilia: eo motivo rusticis vendere et ab eis emere licet diebus dominicis et festivis, ut jam notavimus, quod nunc etiam fit propter consuetudinem.

5^o *Necessitas*, sive propria, sive aliena, sive corporis, sive animæ; quia apud omnes receptum est legem humanam cum tanto detrimento non obligare. Unde sufficienter excusantur 1^o qui, propter præteritam vel imminentem pluviam, fenum vel segetes vertunt, ligant, asportant, congregant; qui, urgente mandato vel necessitate, pontes, vias publicas aut alia similia conficiunt aut reficiunt; a fortiori qui in incendio succurrunt, inundantibus aquis aggeres opponunt, qui militant, propugnacula construunt, mœnia reparant, etc.; 2^o famuli a dominis ad laborandum coacti, modo id non fiat in contemptum præcepti, et ti-

meant eorum indignationem aut aliud grave incommodum, v. g., ne dimittantur et alium dominum non facile invenient: si tamen ad hanc præcepti violationem frequenter cogendi essent, talem dominum, quamprimum moraliter possent, id est, sine gravi detrimento, deserere tenerentur: quod autem dicitur de famulis, a *fortiori* dicendum est de filiis-familias et uxoribus a patribus et maritis ad laborandum coactis, et facultatem abstinendi aut domum deserendi non habentibus; 3^o iidem famuli aut famulæ vestes suas diebus dominicis reficientes, si id aliis diebus facere non possint: suadendum est illis ut se locando tempus ad hæc facienda obtineant, ut in nonnullis regionibus fieri solet; et si hanc facultatem obtinere nequeant, ut sæpe contingit, inquietari non debent, quia diebus dominicis talia ex sola necessitate agunt; 4^o pauperes, qui aliter se suosque sustentare non possunt, modo privatum et sine scandalo laborent, præsertim quando multi occurrunt dies festi, nisi dicatur eos potius mendicare teneri, *quod stultum est*, inquit *Cajetanus*. Sic generaliter theologi. Eadem ratione permittitur pauperibus diebus dominicis spicas derelictas colligere (*de glaner*), post vel ante assistentiam missæ; 5^o ii quorum opera semel incepta interrumpi non possunt absque gravi damno, ut coquentes lateres, calcem, vitrum, liquefacientes ferrum, et alii similes; 6^o medici, chirurgi, pharmacopolæ necessaria ægrotis parantes; 7^o pistorum, qui ex usu nunc recepto panem recentem seu hujus diei habere tenentur, alioquin officina eorum desereretur: caveant tamen ne conficiant die dominica aut festiva panem quem die præcedenti conficere possunt absque notabili detrimento; 8^o molitores, qui aqua aut vento existenti uti possunt, partim ob necessitatem, partim ob consuetudinem receptam, partim quia labor humanus est parvus: grana autem accersere aut farinam reportare non debent sine aliqua necessitate labori proportionata; 9^o sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales tali die necessarias, et eas terminare nequeunt, neque per se neque per alios, nisi die festo laborent; non vero excusantur qui sæpius post

mediam noctem in die dominica aut festiva diu laborant ut vestes promissas reddant, nisi rationabiliter timeant graves rixas, blasphemias aut alia similia, vel ne ab iis pro quibus laborant cum notabili sui damno deserantur; at in tali necessitate se non constituent nimiam quantitatem laboris accipiendo, vel minorem operariorum numerum habendo; 10^o qui ferrant equos in via vel etiam a rusticanis sibi adductos; ipsi rusticani qui eos alia die adducere non possent sine notabili detrimento; qui currus casu fractos reficiunt; qui vomeres recidunt aut recudere faciunt, quia secus die sequenti arare non possent; qui falces percutiunt, etc.; 11^o barbitonsores, qui rusticanos, opifices aliosque continuis laboribus per hebdomadam occupatos radunt, capillos eorum cadunt et componunt, vel etiam, ex usu nunc communi, alios, ob solam decentiam, radunt et comunt. *Bened. XIV*, cum erat Bononiensis archiep., *Instit.* 43 statuit quid diebus festis facere possent vel non possent, horas eis assignavit pro arte sua exercenda. 12^o Probabiliter excusantur qui, bonis fortunæ non copiose instructi, laborant, vendunt, vel emunt propter occursum lucri gravis momenti et extraordinarii, quia pro iis tale lucrum non facere idem est ac grave damnum pati; et eo censu Alexander III permisit ut hæc diebus dominicis et festis, solemnioribus exceptis, caperentur; sic agere solent piscatores respectu aliorum piscium qui certo tempore ad littora maris accedunt, aut fluvios excurrunt. Ita *Billuart*, *S. Ligorius*, n. 301, et alii multi.

6^o *Utilitas*, præsertim publica, si nempe de communi lætitia aut splendore agatur, v. g., de celebranda victoria, de præparando festo pro receptione principis, pro natiuitate filii ejus, vel de alia exsultatione publica atque legitima.

7^o *Parvitas materiæ*; omnes quippe fatentur hoc præceptum levitatem materiæ admittere, ac consequenter transgressionem ejus, ex genere suo mortalem, defectu materiæ fieri posse venialem. Communis sententia tenet laborare, sine causa excusante, per duas horas, sive continuas, sive separatas, peccatum esse mortale, maxime si

labor sit valde servilis, ut cædere lapides, fodere terram. Ita *Layman, Suarez, Busenbaum, S. Ligorius*, contra paucos sustententes unam horam ad constituendum peccatum mortale sufficere, et alios nimis laxos qui ponunt pro materia gravi tertiam diei partem. Plurimi tres admittunt horas, si aliqua concurrat causa excusans, licet per se non sufficiens, aut si labor leviter sit servilis et a servitio Dei parum distrahens, ut acupingere, minutiora opuscula facere, aptare, texere, etc. Si autem labor adeo sit levis ut pro nihilo reputari debeat, v. g., unum vel alterum punctum suere, unum fructum colligere, nullum est peccatum.

Quærent theologî an dominus mandans sex vel decem famulis ut per horam die dominica laborent mortaliter peccet: quidam affirmant, quia opus fit grave respectu ipsius; alii communius negant, quia singuli operantes venialiter tantum peccent: dominus autem ideo peccat quia eos inducit ad peccandum: ergo venialiter tantum peccat, nisi grave præbeat scandalum. Fatendum est tamen eum sic agendo præceptum Ecclesiæ ob meras cavillationes elusurum; multos enim inducendo operarios ad laborandum per horam singulis diebus dominicis et festivis, leviter tantum peccaret ut ingentia perficeret opera, quod sensui communi repugnare videtur. Unde libenter diceremus cum *Billuart: Doctioris iudicium exspecto.*

Communiter docetur eum qui inter famulos habet infideles et amentes, contra Ecclesiæ præceptum non agere eos operibus servilibus adhibendo diebus dominicis et festivis, quia hi præceptis Ecclesiæ non tenentur. Caveat tamen ne scandalum præbeat, ut, puta, si tales eligeret famulos ut eos ad laborandum diebus dominicis adhiberet.

ARTICULUS TERTIUS.

DE HIS QUÆ DIEBUS DOMINICIS ET FESTIVIS PRÆCIPUUNTUR.

Quæ diebus dominicis et festivis præcipiuntur fidelibus, vel ab eis præstanda sunt, ad duo genera reducuntur, vi-

delicet ad auditionem missæ et ad cætera pietatis opera: de quibus in duplici agemus paragrafo.

§ I. — De auditione missæ diebus dominicis et festivis.

Dicemus 1^o de præcepto in genere audiendi missam his diebus; 2^o de modo eam audiendi; 3^o de missa parochiali, et 4^o de causis ab audienda missa excusantibus.

SECTIO PRIMA. — De præcepto in genere audiendi missam diebus dominicis et festivis.

1^o Dari huiusmodi præceptum, id est, omnes fideles usum rationis habentes, non legitime impeditos, cuiuscumque sint status et conditionis, missam integram singulis diebus dominicis et festivis sub peccato mortali audire teneri, constat 1^o ex concilio Agathensi, anno 506 celebrato, can. 47, ubi legitur: « Missas die dominico a sæcularibus totas audiri speciali ordinatione præcipimus; » ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat: qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur; » 2^o ex concilio Aureliani anno 511 habito, in quo idem omnino statuitur, can. 26; 3^o ex Decreto, 3^a p., dist. 1, can. 63, ubi propria concilii Agath. verba referuntur, et aliis seq. can.; 4^o ex usu generaliter recepto, et ex fidelium persuasione ac pastorum doctrina, tum privata, tum publica; 5^o ex damnatione seq. propositionis ab Innocentio XI, anno 1679, et a clero Gallicano, anno 1700: « Satisfacit præcepto de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. » Multi olim docebant, saltem ut probabile, satisfieri præcepto de audienda missa si audirentur duæ medietates, etiam inverso ordine, v. g., a consecratione usque ad finem, deinde a principio usque ad consecrationem, etiam cum aliquo temporis intervallo, nimirum unius horæ, ut videre est apud *S. Ligorium*, l. 3, n. 311: hæc vero sententia, quæ rationi præcepti et sensui communi fidelium simul adversari certe videtur, post condemnationem dictæ propositionis, admitti non potest.